



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Epitome Instituti Societatis Jesu**

**Sesti, Curtius**

**Bruxellis, 1690**

Cap. III. De Corporalibus Ministeriis exhibendis, aliquibusque aliis vitandis.


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

mine gestorum juvare Proximum. Denique curandum esset, ut omnes intelligerent, Societati nihil gratius esse posse, quàm in omnibus rebus consentaneis Instituto, adhiberi quâlibet horâ.

## CAPUT III.

De Corporalibus Ministeriis exhibendis, aliquibusque aliis vitandis.

1. orporalibus etiam pietatis operibus, quantum spiritualia, quæ præponenda sunt, permittant, & vires patientur, incumbendum est; præsertim in Xenodochiis eos invisendo, & aliquos, qui eis inserviant, mittendo; & dissidentes ad concordiam revocando; sic etiam pauperes, & in custodiis publicis detentos sublevando, & ut alii sublevent, curando. Non convenit tamen misceri nos cum aliqua Congregatione; nec apud nos aliquos Conventus haberi; nisi qui ad nostrum pecuniarium finem instituuntur. <sup>a</sup>

2. Externis etiam pauperibus eleemosynæ aliquæ erogandæ sunt, pro Collegii, vel Domus facultate; & in illis præsertim locis,

*Adjumenta  
temporalium  
necessitatem.*

<sup>a</sup> P. 7. c. 4. §.  
9. & G. & c.  
2. E. & P. 9. c.  
6. §. 4. & B. &  
In. 4. §. 3.

*Eleemosyna è  
nostris bonis  
largienda.*

b R. Prov. 96.

c R. Jan. 10.

Negotia Status  
vetantur.

d P. 6. c. 3 §. 7.  
& C. 5. D. 47.  
48. & 79. &  
80. & Or. c. 11.  
§. 4. & Paul.  
V. p. 309.

Quanam cen-  
senda negotia  
Status,

e C. 7. D. 46.  
& Or. c. 11. §.  
4. & c.

cis, ubi reditus Ecclesiasticorum bonorum percipiuntur: eaque juxta præscriptum Provincialis; b & si qui ad januam accedunt, à Janitore benignè accipiendi, & juvandi etiam, juxta Superioris arbitrium. c

3. Ea verò quæ vitanda sunt Nostris, ne in Proximorum utilitatem effusi longius provehantur, quàm Religiosa Caritas patiatur, ex sequentibus patent. Nullus publicis, & secularibus Principum negotiis, quæ ad rationem Status, ut vocant, pertinent, per quoscumque requisitus, ulla ratione se immisceat: idque præcipitur in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna inhabilitatis ad quævis Officia, & Prælationes, vocisque activæ, ac passivæ privationis: commendaturque Superioribus, ut propensos ad hujusmodi negotia amovere procurent, si alicubi degant, ubi periculum talium curarum immineat. d

4. Quæ autem pertinent ad solam conscientiam Principum, aliorum-ve, qui petunt consilium, non eo Decreto prohibentur; sed quæ eò non referuntur, ut sunt ex. gr. Principum fœdera: Successiones, Bella: harum enim, & similium rerum publicis consiliis interesse, aut operam iis tractandis impendere, interdicitur. d

5. Nec

§. Nec in familiaritatem Principum se insinuare Nostros convenit; nec aliis negotiis secularibus, etiam rerum particularium, præsertim propinquorum occupari; nisi fortè interdum, iudicio Superiorum, caritas aliud suaderet. Abstineant etiam à Testamentorum executione: & delatam Legatorum confidentialium curam non acceptabunt. *f* Sacerdotes verò etsi, cum opus est, ægrotos ad condenda testamenta hortari deceat; iis tamen conficiendis non assistant. *g* Nullus se examinari in causis civilibus permittat; nisi, qui ad peccatum obligare potest, compelleret; aut sine licentia sui Superioris; quæ minime danda, nisi in causis valdè piis; & quæ in nullius detrimentum vergant; in criminalibus autem nunquam. *h* Eorum verò nullus, etiam Procuratorum, qui Romam veniunt, Externorum negotia suscipiat, sine facultate Provincialis: quam rarò admodum, nec nisi gravioribus de causis concedet. *i*

6. Quando declinari non potest ministerium examinandi ad Ordines, aut alia munia Ecclesiastica ut simul iudicium ferendum sit de sufficientia promovendorum, quod quidem non est consentaneum nostro Instituto; ita iudicium temperetur, ut sit so-

Z

lùm

*Quacumque negotia secularia vitanda.*

*f* P. 6. c. 3. §. 7. & D. & C. 5. D. 48. & 80. & C. 8. D. 56. & C. 12. D. 38. & R. com. 41. & R. Sac. 28.

*h* P. 6. c. 3. §. 8. & E. & C. 7. D. 13.

*i* Or. c. 4. §. 2.

*Examinare pro Ordinariis quantum licet.*

l C. 2. D. 71. &  
C. 4. D. 63. &  
R. Prov. 104.

*Seminaria qua  
admitti possint.*

m C. 2. D. 18.  
& C. 3. D. 24.  
& C. 4. D. 13.  
& C. 12. D. 25.  
& in C. 3. In-  
terrog. §. 4.  
n C. 12. D. 26.

*Monialium  
regimen probi-  
betur.*

o P. 6. C. 3. §. 5.  
& R. Prap. 47.  
& Rect. 68 &  
C. 7. D. 56. &  
C. 8. D. 11. &  
Paul III. p. 44  
\* Et Parochiale:  
p P. 4. C. 2 §. 1.  
B & P. 6 C. 3.  
§. 5. 6 & C. &  
C. 1. D. 124 &  
C. 2. D. 59.  
q C. 1. D. 136.

† Et offensa Pro-  
ximorum.

lùm de sufficientia doctrinæ, non autem  
morum aut aliorum requisitorum. Posset  
tamen dispensare P. Generalis, ubi hoc ex-  
pediens judicaverit. l

7. Seminaria Externorum adolescen-  
tium à Nostris gubernanda non admitten-  
tur, nisi ex dispensatione P. Generalis,  
quando plures circumstantiæ confluent:  
& in admisis peculiare Magistri non  
concedendi. m Non recusanda autem Se-  
minaria, quæ in Gallia condunt Episcopi;  
ubi Clerici per Exercitia spiritualia, &  
notitiam rerum Ecclesiasticarum, proxi-  
mè erudiuntur ad vitam Ecclesiasticam. n

8. Curam suscipere Mulierum Religio-  
farum quarumcumque, & confessiones  
ordinariè audire earundem in communi-  
viventium est vetitum; neque ad id cogi  
possumus. o

\* 9. Interdicimur etiam suscipere curas  
Parochiales animarum. p Jus autem illud  
Collegii Gandiensis præsentandi tres Pa-  
rochiales Neophytorum visum fuit reti-  
nendum; ut melius consuleretur illorum  
spirituali utilitati. q

† 10. Ut cum omni demum hominum  
ordine religiosa caritas foveatur: caveant  
Nostris, ne alios quoscumque Externos,  
maximè verò Religiosos, aut Viros pri-  
ma-

marios, vel lingua, vel calamo, aut quacumque alia ratione offendant: & Superiorum erit in hujusmodi noxas inquirere, & animadvertere, exhibita quamprimum satisfactione debita. Et Consultores hac de re Superiores mediatos monebunt. r Speciatim verò graviter commendatum, ac districtè præceptum est, ut de Prædicatorum Ordine magnificè Nostri sentiant, & loquantur; & cum ejus Religiosis mutuæ hospitalitatis, aliisque caritatis officiis certare studeant.

r P. 3. C. 1. §. 9.  
& P. 4. C. 16.  
D. & P. 6. C. 3.  
§. 8. & P. 7. C.  
2. H. & P. 10. §.  
11. & B. & C.  
12. D. 17.  
C. 8. D. 12.  
& C. 11. D. 19.

CAPUT IV.

De Scholis publicis instituendis, moderandisque.

SECTIO I.

*De Scholarum publicarum Institutione, & methodo universè.*

**I**nter Societatis Ministeria unum est ex primariis, omnes Disciplinas, Instituto nostro congruentes, ita Proximis tradere; ut inde ad Conditoris nostri cognitionem, atque amorem excitentur. Quare opportunè hic exponuntur, quæ de

*Schola admittuntur ob Externorum utilitatem.*  
St. R. Prov. 3.